



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Dn. Conradi Clingii Theologi Et Ecclesiastae Celeberrimi  
(dum vixit) apud Erphordiam Turingiæ, Catechismus  
Catholicus, summam Christianæ institutionis III. libris  
succinctim complectens**

**Klinge, Konrad**

**Coloniae, 1570**

**VD16 K 1309**

De potestate mariti in vxorem. tit. 134.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-29452**

prohibita ab Ecclesia, Deus nō approbat. Deus enim non legem & potestatem Ecclesie destruet propter luxuriam malorum hominum. omnia tempus suum habent. violentum quidem sæpè fit, sed non est perpetuum, & tunc hic habet confusionem, in futuro pœnam pœnam. Non ergo potest vxorari religio.

*DE POTESTATE MARI.*

*ti in uxorem.*

TITVLVS CXXXIII.



Primo, Apostolus 1. Cor. 7. inquit. Mulier potestatem sui corporis non habet, sed vir: ÷ diuerso vir potestatem sui corporis non habet, sed mulier. Significat dicit potestatem corporis, non animæ. Nam anima soli Deo est subiecta, neque parentes dominant animam, sed corpus, marito. Extendit ergo potestas coniugum nō vltra nisi ad corporalia, id est, quæ corpus requirit, id est, ad curam thori, mensuræ familiaris, educationis liberorum.

Secundò, nemo ignorat, quòd quilibet coniugum habet fidem Christi, baptismum, sacramentum eucharistie, vouet obedientiam Ecclesie in baptismo, antequàm sunt coniuncti & copulati matrimonio. Nō enim alter cōiugum habet fidem, baptismum, sacramenta &c. à marito, sed ab Ecclesia catholica. Ideo plus est fides, baptisma, eucharistia, quàm maritus, ob id etiam plus est obedientia Ecclesie catholice, quàm maritalis obedientia. Igitur quæ animæ salutem concernunt, ibi Deo plus obedire oportet quàm marito, Acto 5. Qui ergo negat Christum, fidem, sacramentum, baptismum, &c. ad complacentiam coniugis, hic (aut hæc) non est me dignus, Mar. 10. inquit Christus.

Tertio, non ergo vir habet potestatem cogendi uxorem à fide & communionem sacramentorum catho-



lat: & si præsumit, tyrannus est. Nec eum timere de-  
bet vxor: nã licet persequatur, occidat, irascatur, am-  
plius non potest: sed potius timēdus est, qui vtrunq;  
potest perdere, id est, corpus & animam, Matt. 10. & si  
quid hic patitur vxor, martyr est, modò habeat pati-  
entiam. Sic enim cōplures optimæ matronæ potius  
eegerunt mori, quàm malis maritis obedire. Sic oc-  
ciditur Regina, vti legitur in legenda S. Catharinæ.  
Sic mater cum filijs sese suffocat, ne Arrianis consen-  
tiant, vt dicit Eusebius.

Quartò inquit: Vir debet reddere rationem de  
vxoie in die nouissimo. Respondeo, de rebus fidei nõ  
oportet: nam stabimus omnes ante tribunal Christi,  
vt quisque pro se reddat rationem, 2. Cor. 5. at de re-  
gimine corporali, quatenus indignè tractãrit vxorē,  
& quòd diligenti studio obstiterit vxori & pueris, q̄  
omnia perdiderit ludendo & dilapidauerit, & cæt. de  
omni verbo & facto malo, Mat 12. ideo falsum est ar-  
gumentum, quòd trahere possint vxores ad sectam,  
&c. Non stabit in iudicio pro te vir tuus, aut tu pro il-  
lo, sed de factis proprijs oportet reddere quempiam  
rationem. Non ergò tenetur mulier obedire contra  
conscientiam fidei, & obedientiam catholicæ Ec-  
clesiæ. At si ex complacentia viri facit contra consci-  
entiam & fidem catholicam, inquit: si velim tran-  
quilla & commoda pace frui apud illum, oportet me  
hoc facere, sicut vult maritus. Respondeo, ergo & cum  
vxoie ibis in æternam maledictionem. Gal. 5. Sectæ re-  
gum Dei non possidebunt: & si aliter fieri omninò  
requirit, tunc teneas regulam Naaman principis mi-  
litarum 4. Reg. 5. Sin autem vitare poteris, fac, & com-  
menda te Deo, &c.

AN REGVLA NAAMAN QVI

*licet inuitus, ingressus est templum, idolo-  
latrarum, excuset à peccato.*

Yy 2

TITV-